

cælesti attribuens. Jam autem in omni argumentatione & discursu (quo veri talis studiosi in hac vita utimur) semper obscurum, dubium, ignotum quippiam continetur.

13. Resp. 4. cùm locus in genere videatur agere de rebus fidei & revelationis supernæ, minùs commodè eum ad naturalem Dei perceptionem, ita ut hujus claritas evertatur, applicari; præsertim cùm vulgò Philosophi habitum fidei habitui scientifico, ut quid inevidens evidenti soleant opponere. Nam conclusiones Theologicæ potissimùm per authoritatem, argumento testificativo & inartificiali, Philosophicæ autem per demonstrationem, argumento artificiali & scientifico probantur.

EXERCITATIO XII.

Cogitatio potest esse in mente nostra clara & distincta, licet non sit rei adæquata & perfecta.

1. **L**udant subinde adversarii in vocabulo *perfecti*, dum perceptionem Dei claram, perfectam, non dico perceptionem, sed cognitionem Dei interpretantur, quam postea eandem esse volunt
cum